

SECTIO II,

delineans

MERITA JURISCONSULTORUM.

INter Jctos Westphalos, quorum hodieqve merita celebrat Acad. Rost., & ætate, & Alphabeti serie, & munerum dignitate primum sibi locum jure quodam vendicat]

ERNESTUS COTHMANNUS,

Patriâ Lemgoviensis, qui de Majoribus sibi gratulari potuit patritiâ & consulari dignitate per integra secula maximè conspicuis. Patre enim *Died. Cothmanno*, Lemgov. Reip. Consule, matre *Catharina Grotenia*, *Died. Groten*, ejusdem Reip. Cos. filia & *Alex. Groten*, pariter Cos. patrii puriorisqve Religionis, quæ firmam hodie sedem in urbe isthac fixit, primi, post nuditatis papisticæ detectionem instauratoris & reformatoris felicissimi, nepte, 6. Dec. 1557. in hanc mundi lucem editus est. Ad veram pietatem jam adsuefactum parens 1565. in Gymnasium id temporis florentiss. Düsseldorpiæ primo ablegavit. Ubi cum humaniora, ut vocant, probè excoluisset, Academiam Juliam, tum quoque Marpurgensem adiit. In quibus utriqve Juri totus mancipatus, ductu Præceptorum tanto cum successu ei invigilavit, ut maturâ adhuc ætate mystis primoribus summâ cum laude adnumeraretur. Motus iis filii in studiis progressibus parens Rostoch. eundem Academiae fieri civem voluit, nescius tantam adhuc meritorum famam in hac ipsa consecuturum eum esse, quæ, ut alios jura doceret, ipsi licet juveni adhuc permisit atque ad summos in utroque jure honores merito suo capeffendos invitavit. In Doctorem Promotore *D. Henr. Camerario* promotus, merita sua, quam ante, majori voluptate Rostochiensis Academiae consecrare cœpit, Scholas juridicas eo cum applausu tantoque Studiosorum confluxu aperiens, ut auditorium vix caperet audientes. Hinc loqui merita Cothmanniana potuerant eruditissimi viri, qui ex Scholis ipsius egressi, de variis Principum aulis urbiumque gubernaculis non sine magna sui fama promeriti fuerunt. Quæ & ipsa in Academiam merita effecerunt, ut 1587. ab *Udalrico*, Duce Megap. in numerum non solum Consiliariorum adscitus, atqve Aessor simul judicii

Me-